

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Q. Horatius Flaccus**

**Horatius Flaccus, Quintus**

**Amstelaedami, 1728**

An den Leser

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-830](#)

## LECTORI.

**N**E paginae hae prorsus vacarent, exhibuimus tibi ex Cruquio & Pithoeo Epigramma veteris Grammatici in PASIPHAEN, quo omnes versus Horatianos non ineleganter expressit. Porro, quia semel iterumque usu venerat, ut ea de re in Notis ageremus, eadem Metra eodemque ordine ex reliquis trium Scriptorum, quos Noster sequi profitetur, undique collecta dedimus; ut re ipsa videas qua fide ille dixerit, Ep. I. ult.

*Quod timui mutare modos & Carminis artem.*  
Verum vero illum XVII. Illiciisque gaudent, cui Flacci iste respondet Lydia dic per omnes, ex Aristophane pensavimus, cum apud istos hodie non reperiatur. Neque tamen dubium est, quin Alcaicus sit, fide Grammaticorum Latinorum; et si ex Aristophane potius citaverit Hephæstio p. 29. ideo, ut videtur, quia apud Lyricos Prodi duntaxat vicem egit, apud illum continenter & juciter usurpatus est. Illud vero majoris est momenti, quod versu XVIII consulto vix circumflexum reposuimus,

*Δεῦτε νῦν ἄβ | παι Χάριτες παλλίκομοι τε Μοῖραι,*  
ut cum Flacci metro congrueret,

*Te deos, o | ro, Sybarin cur properes amando.*  
Quippe apud Sapphonem, (Hephæst. p. 30.) vix breve & Encliticum est; adeo ut pes primus, pariter ac duo sequentes, Choriambus sit;

*Δεῦτε νῦν ἄβ | παι Χάριτες παλλίκομοι | τε Μοῖραι.*  
Quare Choriambici exemplum adductum Diomedes p. 510. & Terentianus Maurus p. 2424. Atque inde est, quod litem Horatio intendit Marius Victorinus p. 2614. ob immutatum in versus principio pedem: *Quod metrum, inquit, sive errore seu studio poëtae, secus quam ratio est, processit. Etenim si imitatus esset Alcaenum; ita protulisset, Te deos o, non Te deos o.* Tamen, si non studio factum est, habet excusationem, quod legens quam ipse sibi causa aliquo dixerat, usque ad ultimam Asinatis partem observando produxit. Atrocius vero in nostrum invehitur Attilius Fortunianus p. 2683. ignoratiā, salebram, errorem, durissimumque pedem increpitans. Confitendum quidem est, non jam amplius Choriamicum esse Versum Flacci; sed in aliud metri genus migrare, Πολυτχυμάντης puta vel Ασινάστης. Studio tamen, non errore, id fecisse nostrum, nulla mihi dubitatio est; & in

hoc quoque Alcaenum & Sapphonem magistros sibi ac duces habuisse crediderim, et si in tam pauculis Fragmentis nullum hodie exemplum extet. Quippe hoc metrum, ex gemino jam colo constans,

*Te deos oro Sybarin | cur properes amando,*  
& suave numerosumque est; priusque ejus membrum, quod solum in Nostro redargunt Grammatici, saepe apud Eupolin & Aristophanem habetur: ut in Parabasi Nubium v. 508. & seq.

*Ω θεόμενοι, κατέρρη | πρός νύ όμης εἰπενθέως.*  
*Τοῖς σοφοῖς ἀν Σύνει ἐγώ | ταῦτ' ἐπραγματευτάμην.*  
& cum diverso colo junctum apud Euphorionem Chersonesiota, Hephæst. p. 60.

*Οὐ βέβηλος, ὁ τελεται | ταῦτα νέα Διονύσος.*  
Jam autem Aeolica haec metra esse, & proinde de Sapphone atque Alcaeo petita, vel illud indicio est, quod primus pes dissyllabus utriusque coli (seu Spondeus sit, sive Trochaeus aut Iambus) indiscriminatum ponitur arbitrio Poëtae: qui proprius est Aeolici carminis character: ut in illis Aristophanis & Eupolidis,

*Ος μέ | γισον ὅτα Κλέων | ἔπαιο | εἰς τὴν γαστέρα.*  
*Ο σά | φραν τε καὶ καταπόν | γενέε | μισ' ήκουσάτην.*  
Praeterea quoque, cum hoc metrum nihil aliud sit quam Trochaicus Archilocheus secunda fede fractus & inversus; quemadmodum ille quem jam dedimus, si αγε ponis vice ἐγώ, rotundissimus exit Tetrametrus,

*Τοῖς σοφοῖς ἀν Σύνει ἀγε ταῦτ' ἐπραγματευτάμην;*  
vel inde etiam conjicias Aeolicum fuisse metrum. Amabant enim Aeolenses recepta metra sic infringere & variare; sicut Heroicum versum Alcaeus & Sappho nunc primo pede per Trochaeum, Iambum, aut Pyrrichium; nunc quarto pede per Anapaestum infusabant;

*Ἔψι | δὴ τὸ μέλασθρον ἀέρρετε, τέκτονες ἄνδρες.*  
*Καλο | μαι τινα τὸν χαρίστα Μίρωνα καλέσσαται!*  
*Κατδιάσσει, Κυθέρη, ἀ | βρὸς "Άδω | νις" τι πε*  
*τέριψεν;*  
*Κατέπτεσθε, κόραι, και | καταρήν | τυρθε χιτῶνας.*  
Ergo, pace tandem Grammaticorum, neque errore Noster, neque immodulate, nec fine duce & auctore hoc metrum adhibuit.